



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

VI. Beatam dicunt in necessitatibus positi. Quia est illorum Procuratrix.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

6. Beatam dicunt in necessitatibus positi.

Quia est illorum Procuratrix.

Joseph Confessoris in Menæa Græcavelata hæc confessio 20. Jun. Per tuæ Virgo benignitatis exuperantiam, res nostras ita moderaris, ut propriè tuas. Item S. Damas. ibid. 15. Augusti. Deiparam suâ pro nobis intercessione pervigilem, & in patrocinij nostris Spem plane immotam, neque somnus mortis ab illa vigilantia, neque sepulchrum ab illa stabilitate dimovit. Et Bernard. serm. 1. de Assumpt. Advocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam Judicis Mater, & Mater misericordiæ simpliciter & efficaciter salutis nostræ negotia pertractavit. Rich. à S. Laur. lib. 6. Maria est mulier Chananea (videte quàm opportunè importunè efflagitanti mulieri confert?) Quæ clamat ad Deum pro filia, id est pro peccatrice anima, cujus etiam personam in se misericorditer transformat dicens: Milerere mei Fili David; & cui misericorditer respondet Filius: O mulier magna est fides tua.

Breviter, sed optimè *August. serm. 2. de Nativit. Virg. Virgo hæc sicut apud Deum est potior, ita omnibus Sanctis est sollicitior. Non immeritò itaque eam S. Ephrem orat. ad Deip. vocavit Polyommaton, hoc est multis oculis videntem, veluti custodem quendam Argum. S. Epiph. de laud Virg. eam dixit Polyophthalmon, id est multoculam. Siquidem ut idem serm. de Assumpt. omnia observat, & incuetur, & inspectio ejus ad omnes se extendit. Bonavent. in spec. Ruth interpretatur videns, & festinans, & signat B. Virginem, quæ verè videns in contemplatione, & bene festinans fuit in actione, videns enim nostram miseriam, est & festinans ad impendendam suam misericordiam.*

Sed & *Ecclesia Romana in festo omnium SS. canit. Placare Christe servulis, quibus Patris clementiam, tuæ ad tribunal dexteræ, Patrona Virgo postulat. Cum Christus Matri dixisset apud S. Brigittam lib. 1. cap. 50. Pete quodcunq; vis, & dabitur tibi. Respondit Mater, Misericordiam, & auxilium peto miseris. Virgo enim nostra illa est Sanamitis 4. Reg. Quæ de Elisæo ita sollicita est, ut & minimas res cures, & lectulum, & fellam, & mensam, & candelabrum. &c. Ita Richard. à S. Laur. lib. 5.*

S

7. Beata